

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Rituale Sive Obseqviale Ecclesiae Et Dioecesis  
Constantiensis**

**Constantiae, 1686**

Ordo inungendi infirmum tempore summae necessitatis, vel pestilentiae

[urn:nbn:de:bsz:31-132849](#)



ORDO  
IN UNGENDI INFIR-  
MUM TEMPORE SUMMÆ NE-  
cessitatis, vel Pestilentiae.

Ingrediendo locum, ubi jacet infirmus, Sacer-  
dos dicat.



Ax huic domui. Et omnibus  
habitantibus in ea.

Antiphona.

**B**enedic Domine domum istam, & omnes  
habitantes in ea, quia tu Domine dixisti:  
Pax huic domui. Benedic Domine timentes te,  
pusillos cum majoribus. Benedicti vos a Do-  
mino, qui fecit cœlum & terram.

O remus.

**O**mnipotens, & misericors Deus, qui Sa-  
cerdotibus tuis tantam, præ cæteris, gra-  
tiam

tiam contulisti , ut quicquid in tuo nomine , ab eis dignè , perfecteque agitur , à te fieri credatur , quæsumus immensam clementiam tuam , ut quicquid modò visitamus , atque benedicimus , intercedente Beata Maria virgine , cum omnibus Sanctis tuis , visites , & benedicas , fiatque ad nostræ humilitatis introitum , fuga dœmonum , & angeli pacis ingressio ; Per Christum Dominum nostrum . Amen.

Tunc lotum pollicem , vel spatulam intingat in sacrum oleum , & per modum **+** crucis liniat obvium sensus organum , & ad unctionem magis expositum , vel oculos , vel aures , vel nares , vel os , vel manus , & dicat :

**P**er istam sanctam unctionem **+** , & sumam p̄iissimam misericordiam , indulgeat tibi Dominus noster JESUS Christus , quicquid per visum , auditum , odoratum , gustum , & tactum deliquisti . Amen.

Deinde bombacio , vel stupâ , absterget locum inunctum , & pollicem , vel spatulam , & subjugat hanc benedictionem .

Bene-

**B**enedicat **+** te Deus Pater, qui te creavit; Benedicat **+** te Filius Dei, qui pro te passus est in cruce; Benedicat **+** te Spiritus sanctus, qui in te effusus est in baptismo; Benedicat te Deus Pater; sanet te Filius Dei; Illuminet te Spiritus sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, cor tuum irradiet, sensum tuum dirigat, & ad supernam vitam te perducat; Qui vivit, & regnat per cuncta sæcula Deus. Amen.

Ultimò valedicat ei dicendo.

**B**enedictio Dei Patris **+** omnipotentis, & Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.



SEP.